

neuter, ita tamen ut semper sit in actu secundo, ut scientia beata; et hæc non tam vocatur habitualis quam actualis. Tertio modo infunditur ita ut maneat in operante, saltem quoad actum primum, et in voluntate ejus sit uti illa, vel cessare ab actu secundo. Et in hoc sensu tractat D. Thom., an hæc scientia infusa habitualis sit.

2. Respondet affirmando esse habitualem. Ratio ejus est, quia hæc scientia data est juxta proportionem animæ humanæ; sed hic modus habitualis scientiæ est connaturalis animæ humanæ; ergo. Quam rationem magis explicans in solutione ad primum, differentiam constituit inter scientiam beatam, et hanc infusam, quod illa excedit modum humanæ naturæ, et est perfectissima simpliciter; et ideo semper est in actu secundo; hæc vero est secundum modum proportionatum humanæ naturæ, et solum est perfectissima in genere humanæ cognitionis; et ideo non oportet ut semper sit in actu secundo.

3. *Dubium.* — In qua doctrina statim occurrit difficultas, quia videtur D. Thomas evertere omnia, quæ de hac scientia diximus, et sentire non esse per se, sed per accidens infusam; nam, si per se infusa est, ergo est supernaturalis, et excedens naturalem capacitatem humanæ naturæ; cur ergo dicitur dari secundum modum connaturalem humanæ naturæ? Et confirmatur, quia species et lumen hujus scientiæ non sunt connaturalia humanæ naturæ; ergo neque quoad modum existendi in actu vel in habitu oportebit ut sit connaturalis humanæ naturæ. Unde secundo difficile est quod D. Thomas ait, hanc scientiam esse perfectissimam, non simpliciter, sed in genere *humanæ cognitionis*. Interrogo enim quid nomine *humanæ cognitionis* intelligat. Si enim loquatur de cognitione connaturali ipsi homini, supponit aperte hanc scientiam esse per accidens infusam, et falsum est quod dicit, quia hæc scientia perfectior est omni angelica cognitione, tam naturali, quam supernaturali, excepta scientia beata; si autem per cognitionem humanam intelligit omnem cognitionem quæ potest esse in homine, etiam supernaturaliter, hoc modo etiam scientia beata potest dici humana, et ita etiam propositio falsa erit.

4. *Responsio.* — Respondetur breviter, scientiam rerum seu creaturarum in proprio genere vocasse D. Thom. scientiam accommodatam modo cognoscendi humanæ naturæ; est enim proprium Dei cognoscere creaturas

per suam essentiam, quia proprium est ejus illas omnes continere tanquam propriam omnium causam; et ideo modus cognoscendi res in Verbo dicitur singulariter a D. Thoma modus excedens conditionem naturæ humanæ, non quia non excedat etiam conditionem angelicæ naturæ, sed quia nunc de humana natura erat sermo. Dicitur ergo hæc scientia dari modo connaturali animæ humanæ, non quia non sit per se infusa et supernaturalis, sed quia data est per infusionem specierum representantium res in proprio genere; et quia supernaturalia infundi solent, quantum fieri potest, modo accommodato naturæ, et cognitio, quæ fit per intelligibiles species, solet esse subjecta arbitrio operantis quoad usum earum in actu secundo, inde probabiliter intulit D. Thomas hanc scientiam hoc modo infusam esse animæ Christi, et ita esse habitualem, et per hoc fit satis primæ difficultati.

5. Ad secundam vero respondetur, distinguere D. Thomam scientiam humanam a scientia divina, quæ habetur per ipsammet essentiam Dei; unde, cum dicit hanc scientiam esse perfectissimam in genere cognitionis humanæ, non solum intelligit de cognitione naturali, sed de omni cognitione quæ per species inditas fieri potest, saltem de potentia ordinaria, quidquid sit de absoluta. Unde sub hac cognitione humana comprehendit cognitionem omnem, quæ extra Verbum esse potest in anima humana, tam conjuncta corpori quam separata, et tam per naturam, quam per infusionem Dei; et hoc modo scientia perfectissima in hoc genere excedere potest, non solum scientiam hominum, sed etiam Angelorum. Et ita solvitur secunda difficultas, et exposita est solutio ad primum.

6. Secundum argumentum D. Thomæ est hujusmodi. Per hanc scientiam cognoscit anima Christi infinita; ergo vel simul omnia illa intelligit, vel nunquam poterit per successivam actuum illa omnia considerare. Respondet D. Thomas concedendo res cognitæ per hanc scientiam in actu primo esse infinitas, et ita nunquam posse omnes actu considerari ab anima Christi, nec simul, nec successive; neque tamen propterea superfluum esse talem primum actum, quia satis est ut pro loco et tempore possit anima Christi actu considerare quamlibet ex illis infinitis rebus. In qua solutione difficile creditur est, nunquam posse animam Christi per actus ab hac scientia elicitos exhaurire totum materiale objectum hujus scientiæ. Melius ergo videtur

solvi argumentum (ut Cajetan. hic notavit), dicendo posse animam Christi, per finitum numerum actuum, actu contemplari omnia quæ sub hanc scientiam cadunt, etiamsi infinita sint; quia illa per finitum numerum specierum representantur, et per quamlibet speciem potest habere actum illi adæquatum. Unde fit, consequenter dicendum esse potuisse interdum animam Christi actu considerare infinita per hanc scientiam sub aliquo genere vel specie, quia alias non posset totum objectum, infinita complectens, finitis actibus pertransire; hoc vero nullum est incommodum, cum talis cognitionis modus etiam Angelis possibilis sit.

## DISPUTATIO XXVIII,

In duas sectiones distributa.

## DE ACTIBUS SCIENTIÆ INFUSÆ ANIMÆ CHRISTI.

De his actibus in præcedenti disputatione tacta sunt multa, quæ hic breviter supponi possunt, videlicet, illos esse certos et evidentes, esse supernaturalis ordinis, atque adeo perfectiores quam sint actus cujuscunque scientiæ humanæ, vel angelicæ, præter visionem beatam. Hic ergo duo tantum supersunt disputanda, quæ D. Thomas his articulis tetigit. Unum est, an hi actus sint multiplices, vel sit unus tantum, continuus vel interruptus; cum qua quæstione conjuncta est alia, an, scilicet, hæc scientia vel necessario sit, vel saltem esse possit semper in actu secundo. Alterum est, an actus hujus scientiæ sit per modum simplicis intelligentiæ, vel per modum compositionis et discursus.

## SECTIO I.

Utrum anima Christi potuerit semper esse in actu secundo hujus scientiæ.

1. *Scientia beata non impedit in Christo actum scientiæ infusæ.* — Dico primo: Christus Dominus non impeditur per scientiam beatam, quominus possit actum hujus scientiæ circa res easdem exercere. Hæc conclusio est contra Gabrielem, qui, in 3, d. 14, q. unic., art. 3, dub. 1, dixit non posse animam Christi simul easdem res per hanc scientiam, et per beatam contemplari. Sed est sententia sine fundamento, nam inde fit, vel non cognoscere animam Christi in Verbo eas res quas per hanc scientiam cognoscit, quod supra improbatum est; vel non posse uti hac scientia,

nisi mutando, seu avertendo considerationem scientiæ beatæ, quod tamen facere, et præter naturam est illius visionis, et contra debitum ordinem esset; quis enim divinam scientiam, propter usum inferioris scientiæ, vel ad momentum, omitteret? Deinde actus harum scientiarum procedunt ex diversis virtutibus et principiis. Nam de speciebus intelligibilibus id constat; de lumine vero intellectuali est satis probabile (ut infra disputabitur), licet fortasse sit idem lumen utriusque scientiæ; tamen actus visionis est ita connaturalis illi, ut quasi naturaliter manet ab illo; actus vero per inferiores species circa creaturas sunt liberi; et ideo non repugnat habere actum aliquem ex his inferioribus, simul cum illo superiori, sicut intellectus angelicus habet hoc modo actualem sui cognitionem veluti connaturalem, et usum liberum alicujus speciei intelligibilis. Tandem, quamvis unus et idem sit intellectus per utramque scientiam operans, tamen ad utramque potest perfecte attendere, quia non proprie naturali virtute operatur, sed divino lumine et auxilio confortatus, et elevatus.

2. *Scientia infusa Christi independens a phantasmatis.* — Dico secundo: anima Christi potuit semper, et a principio creationis suæ, esse in actuali usu et consideratione hujus scientiæ, sine impedimento sensuum, vel corporis corruptibilis. Hæc sumitur ex D. Thom. hic, et ostendi potest sufficienter, animam Christi a principio suæ creationis, seu conceptionis, habuisse usum rationis, non tantum in visione beata, sed etiam extra illam, et statim habuisse actum meritorium, fundatum in cognitione hujus scientiæ; qui modus operandi supponit independentiam a corpore et phantasia, nam in illa ætate, saltem ex natura rei, non sunt apta organa sensuum ut rationi deserviant. Propria vero ratio sumitur ex duplici capite: primo, ex statu et perfectione animæ Christi. Nam, licet informaret corpus corruptibile, erat tamen beata; et ideo ita dominabatur corpori, ut in suis spiritualibus actibus ab illo non impediretur; hæc enim potestas et perfectio ad perfectionem beatitudinis animæ spectat; anima autem Christi, licet caruerit illis perfectionibus status beatifici, quæ ad corpus pertinent, seu repugnant cum conditione corporis passibilis, eas tamen, quæ ad animam spectant, qualis est illa de qua agimus, semper retinuit. Secundo probari potest ex parte ipsius scientiæ per se infusæ, quæ superioris est ordinis, et



ita abstracta a sensibilibus, ut ab illis per se nulla ratione pendeat, ex quo etiam fit ut poterit Christus uti hac scientia, sine dependentia seu conversione ad phantasmata.

3. *Obiectio.* — *Responsio.* — Sed objicit Durand., in 3, d. 14, q. 3, quia viator, ut sic, pendet in suis actionibus a phantasia; hæc autem scientia data est Christo tanquam viatori; ergo in illius usu pendeat a phantasmatibus. Sed hæc ratio nullius est momenti; primum, quia licet major sit vera in homine puro viatore, non tamen in eo qui simul est viator et comprehensor. Secundo, quamvis hæc scientia dicatur data Christo ut viatori, quia erat cognitio extra Verbum, et ita magis accommodata ad actiones meritorias, tamen etiam pertinet ad quamdam perfectionem et ornamentum animæ beatæ, et ideo habuit modum operandi consentaneum animæ beatæ, et per se non repugnantem rationi meriti aut satisfactionis, quæ sunt actiones viatoris. Unde dicitur tertio, interdum per divinam gratiam elevari hominem pure viatorem ad intelligendum aliquid sine phantasmatibus, ut altissima contemplatione, vel prophetica revelatione; hanc autem perfectionem, quæ interdum communicatur homini viatori quasi in transitu, habuit anima Christi permanenter quasi per modum habitus.

4. Addit quarto D. Thom., art. 2, ad 3, potuisse Christum uti hac scientia cum conversione ad phantasmata; quod solum potest habere locum in his objectis, quorum Christus habebat phantasmata, non vero in rebus spiritualibus, quas, prout in se sunt, cognoscebat, ut per se constat. Et hoc argumento, a cognitione harum rerum desumpto, convinci etiam potest conclusio posita. Cum contemplabatur vero res sensibiles, quarum habebat phantasmata, poterat movere et applicare phantasiam ad cogitandum de eisdem rebus modo sibi accommodato. Non video tamen cur hoc redundet in imperfectionem hujus scientiæ, quamvis hoc D. Thom. indicet, art. 4, quia hæc conversio non dicit ullam dependentiam talis scientiæ a phantasmatibus, sed solum dicit efficaciam et motionem quamdam, quæ potius spectat ad perfectionem ejus, accommodatam subjecto in quo existit. Unde solum potest hæc existimari imperfectio, quasi per extrinsecam denominationem, quia, scilicet, est in subjecto inferioris naturæ.

5. Dico tertio: verisimile est animam Christi semper fuisse in aliquo actu secundo hujus scientiæ. Probatur primo, quia hoc erat

in potestate ipsius Christi, et est major perfectio, non repugnans alteri perfectioni, quia melius est esse in actu secundo, quam tantum in primo, et ille actus secundus (ut diximus) non repugnabat visioni beatæ, neque etiam repugnabat cognitioni naturali, propter eandem rationem, quia sunt actus diversorum ordinum, ex diversis principiis et virtutibus procedentes; ergo verisimile est semper Christum usum fuisse hac perfectione. Et confirmatur, nam Angeli semper sunt in aliquo actu secundo; ergo multo magis anima Christi.

6. *Obiectio.* — Sed objicies, nam D. Thom. hic, art. 5, significat contrarium, scilicet, hanc scientiam fuisse in Christo interdum tantum in actu primo; hoc enim sensu (ut diximus) vocat illam *habitualem*.

7. *Responsio.* — Respondeo primum, D. Thom. præsertim intendere docere, non esse quasi intrinsecum et connaturale huic scientiæ, esse in actu secundo, sicut est scientiæ beatæ, sed usum ejus fuisse liberum animæ Christi; quod est sine dubio verum, quia actus hujus scientiæ non est immutabilis natura sua, neque est aliquid quod necessitatem simpliciter imponat animæ Christi, ut sit semper in actuali usu et consideratione hujus scientiæ; et hoc est satis ut dicatur scientia habitualis. Et propterea etiam non dixi esse certum, sed tantum verisimilius, animam Christi fuisse semper in actuali usu hujus scientiæ, quia hoc est illi possibile, perfectius, et a voluntate illius pendens. Secundo, fortasse etiam intendit D. Thomas non esse hanc scientiam semper in eodem actu secundo, ut jam dicam.

8. *Dubium primum.* — *Quomodo Christus semper fuerit in actu secundo scientiæ infusæ.* — Quæri enim hic potest primo, quomodo hæc scientia esse semper potuerit in actu secundo, an in eodem actu adæquato toti scientiæ, an vero in diversis actibus inadæquatis; quasi per successionem seu transitum ab uno ad alium? Nonnulli censent probabile, potuisse animam Christi uno et eodem actu contemplari omnia objecta hujus scientiæ, quod censet probabile Marsil., in 3, quæst. 10, articulo secundo, quarta parte illius, conclusion. 2 et 3, quia hæc perfectio neque est impossibilis, nec excedit Christi meritum, seu dignitatem; et hinc fit probabile, ut in hoc actu perfectissimo, et adæquato huic scientiæ, semper actu perseveret. Sed id, quod hæc sententia supponit, difficile creditur est, considerata natura hujus scientiæ. Et ita fere reliqui Theo-

logi sentiunt varios et multiplices esse actus hujus scientiæ, quod non obscure colligitur ex D. Thom. his articulis, præsertim 3 et 5; et idem sentiunt Richard. et Bonav., et alii, in 3, d. 14. Primo, propter rerum multitudinem diversorum generum et ordinum quæ sub hanc scientiam cadunt, et non in aliquo primario objecto, sed per proprias species cognoscuntur. Secundo, propter varios modos cognoscendi: quædam enim res cognoscuntur per hanc scientiam a priori, quædam a posteriori, quædam intuitive, aliæ abstractivæ, quædam per evidentiam ipsarum rerum, quædam fortasse per solam evidentiam in testificante: sed tanta diversitas non videtur posse cadere in unum et eundem actum. Denique fere nullus est habitus habens plura objecta materialia, qui uno actu complectatur omnia illa. Verisimilius etiam est (ut infra dicam) species intelligibiles hujus scientiæ esse plures, non unam tantum; actus autem aliqujus scientiæ multiplicari solent, ut minimum, juxta numerum specierum intelligibilium. Et hinc consequenter fit, animam Christi non permanere semper in uno et eodem actu hujus scientiæ.

9. *Dubium secundum.* — *Responsio.* — Sed tunc occurrit secunda dubitatio, an Christi anima potuerit simul elicere omnes actus hujus scientiæ, seu actu considerare omnia materialia objecta ejus, licet diversis actibus; et consequenter an in hujusmodi actuali et veluti adæquata consideratione hujus scientiæ possit semper durare; videtur enim id posse, quia ratione unionis poterat uti intellectu suo, et qualibet scientia ultra vires naturales; ergo poterat simul elicere omnes illos actus; et videtur decuisse ut id faceret, alias multo tempore aliqua objecta hujus scientiæ ignorasset. Respondetur tamen aliud esse loqui de potentia absoluta, et de modo operandi miraculoso, et præternaturali huic scientiæ, aliud vero de modo illi connaturali; priori enim modo poterat anima Christi elevari ad eliciendos simul plures actus, non solum hujus scientiæ, sed etiam inferioris; tamen posteriori seu connaturali modo, non poterat per hanc scientiam habere, nisi unum actum adæquatum uni speciei intelligibili, quia hujusmodi species semper infunduntur proportionatæ et adæquatæ virtuti intelligendi, quæ finita est, ut ex materia de Angelis latius constat; verisimilius autem est, Christum usum esse hac scientia modo connaturali; quia, cum per scientiam beatam

omnia actu consideraret, non oportuit in hoc, extraordinario miraculo uti; et ideo probabilius est vel non semper, vel fortasse nunquam, actu et simul considerasse omnia objecta hujus scientiæ, quod plane sentit D. Thomas hic, artic. 5, ad 3; et tenet Durand., in 3, distinct. 14, quæst. 3. Neque enim propterea ignorasse aliquid dici potest; non enim ignorat, qui habitualement scientiam habet, et suo arbitrio uti illa potest ad considerandum id quod voluerit, quamvis non semper omnia actu consideret; ita vero erat disposita anima Christi; unde concluditur, animam Christi fuisse semper in actu secundo hujus scientiæ, per successionem seu transitum ab uno actu ad alium, Angelorum more.

10. *Dubium tertium.* — *Responsio.* — *Anima Christi multa simul actu potuit cognoscere scientia infusa.* — Et hinc obiter expeditur aliud dubium, an, scilicet, anima Christi per hanc scientiam potuerit simul actu multa cognoscere. Quidam enim, vel simpliciter negant, ut Richard., d. 24, a. 4, q. 1; vel quod perfecte possit, ut Marsil., q. 10, art. 2, part. 4, concl. 4, qui addit, quo anima Christi plura simul actu cognoscit per hanc scientiam, eo minus perfecte attendere ad singula, quia vis intelligendi ejus finita est. Dicendum est tamen, juxta dicta, hoc esse verum de multitudine rerum quæ per diversas species representantur, utendo adæquato et connaturali modo singulis speciebus; secus vero est de multis rebus per unam speciem representatis; nam illæ possunt simul et uno actu perfecte considerari, sicut de Angelis dici solet, propter rationem factam, quia virtus luminis est quasi commensurata speciei intelligibili; et ideo omnia, quæ per unam speciem representantur, dicuntur cognosci per modum unius.

11. *Dubium quartum.* — *Responsio.* — Sed ultimo quæret hic aliquis quomodo possit anima Christi per voluntatem suam reducere, seu applicare hanc scientiam ad actum secundum, seu ad usum hujus speciei, potius quam illius. Et est ratio dubii, quia voluntas non infertur in incognitum; ergo voluntas utendi hac specie, seu considerandi hoc objectum, supponit cognitionem ejus, quæ est repugnantia. Hæc difficultas, sicut et aliæ multæ, quæ hic tactæ sunt, in materia de Angelis fuse tractatur, nam fere est eadem proportionalis ratio. Et ideo breviter altero ex duobus modis expediti potest. Primo, dicendo animam Christi juvari posse cognitione



scientiæ beatæ, per quam actu semper omnia considerat, ad applicandam per voluntatem suam hanc scientiam inferiorem ad actum secundum. Vel secundo, dicendo animam Christi semper considerare aliquo modo per lumen hujus scientiæ, ipsummet lumen et species intelligibiles ejus, tanquam perfectiones sibi inhærentes; sicut enim illa anima semper actu considerat seipsam, ita etiam considerat omnes facultates suas, et perfectiones earum, et hæc cognitio est sufficiens ut antecedit illam voluntatem, per quam se applicat ad actus secundos hujus scientiæ.

## SECTIO II.

*Utrum actus hujus scientiæ sit per modum simplicis intelligentiæ, vel compositionis et discursus.*

1. Triplex potest esse dicendi modus: primus est, modum operandi hujus scientiæ esse eundem qui est homini connaturalis, atque adeo per modum compositionis et discursus. Ita tenet Alexander Alens., 3 p., q. 13, art. 5; Durand., 3, d. 14, q. 3. Fundamentum Alensis esse videtur, quia non ponit hanc scientiam, nisi per accidens infusam; sed hoc jam rejectum est. Fundamentum autem Durandi est, quia anima Christi non simul omnia per hanc scientiam considerat; ergo ex cognitione unius pervenit in cognitionem alterius, quod est discurrere. Quæ consequentia nullius est momenti; aliud est enim cognoscere unum post aliud, aliud cognoscere unum ex alio, quod est discurrere; alias eodem modo probaretur Angelos indigere discursu.

2. Secundus modus dicendi est, proprium actum hujus scientiæ esse per modum simplicis intelligentiæ, cognoscendo prædicatum in subjecto, et conclusionem in principio, effectum in causa, et causam in effectu; nihilominus tamen potuisse Christum uti hac scientia, componendo vel discurrendo. Hæc est sententia omnium Thomistarum, videtur enim docuisse illam D. Thomas hic, art. 3.

3. Tertia vero sententia est, actum hujus scientiæ semper ac necessario esse simplicem, nec posse fieri cum vera compositione et discursu. Ita tenet Bonav., in 3, d. 14, a. 3, q. 2; et Rich., art. 4, q. 3. Quæ sententia mihi verisimilior videtur.

4. *Actus scientiæ infusæ Christi per modum simplicis intelligentiæ.* — Ad quam explicandam, dico primo: hæc scientia natura sua non est discursiva, sed est ad cognoscendum

per modum simplicis intelligentiæ. Probatur primo, quia lumen hujus scientiæ perfectissimum est, excedens lumen angelicum, ut D. Thom. etiam, art. 4, docuit. Rursus species perfecte repræsentant res prout in se sunt; sunt etiam universales, ut infra ostendemus; ergo natura sua præbent vim ad cognoscendum perfecte res repræsentatas, cognoscendo et intuendo proprietates vel effectus in suis principiis. Et confirmatur primo, quia per unum actum hujus scientiæ possunt interdum simul videri res variæ, etiam si inter se aliam connexionem non habeant, nisi quod per eandem speciem repræsentantur; ergo multo magis cognoscuntur uno actu simplici ea quæ inter se connectuntur, ut proprietas et principium, vel ut causa et effectus, aut alio simili modo. Tandem confirmatur, quia ostensum est, et infra iterum dicitur, hanc scientiam esse perfectiorem angelicam; sed actus scientiæ angelicæ est per modum simplicis intelligentiæ; ergo. Et in hac conclusione conveniunt auctores tertiæ et secundæ sententiæ.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed objeci potest, nam per hanc scientiam cognoscitur Deus per effectus suos, ut dicendum est; alio ergo actu cognoscitur Deus, et alio effectus ejus, et unus actus ex alio oritur; ergo talis cognitio necessario fit per discursum. Antecedens patet, quia cum cognitio effectus sit intuitiva, cognitio autem Dei abstractiva, et una sit cognitio propria et a priori, et alia a posteriori, non videntur posse in eundem actum coincidere. Respondetur: potest primo, eodem actu quo effectus perfecte cognoscitur, cognosci causa in effectu; tunc enim illa cognitio causæ, quia veluti consequenter se habet ad illum actum, et quia causa non per se primo cognoscitur, sed quatenus connexa est cum effectu, ideo per se non dat novam speciem actui. Et hoc modo cognitio intuitiva et abstractiva, a priori et a posteriori, respectu diversarum rerum, potest per eundem simplicem actum fieri, quamvis, quando primo et per se versantur circa eandem rem, videantur semper esse diversi actus, ut cognitio Dei intuitiva et abstractiva. Secundo dicitur, probabile esse, quando Deus cognoscitur in effectu, formari alium conceptum Dei, et alium ipsius effectus; quia effectus concipitur perfecte, et prout in se est, Deus autem imperfecto modo, et quodam conceptu, aut negativo, aut respectivo, vel alio simili; non tamen propterea intercedit proprie discursus;

tum quia illi duo actus simul habentur, et unus resultat ex alio, tanquam simplex effectus a causa simplici; tum maxime, quia connectio, quæ est inter causam et effectum, cognoscitur eodem actu, quo cognoscitur effectus. Discursus autem in hoc maxime perfici videtur, quod distincto actu cognoscitur principium, ab eo quo cognoscitur connectio quam habet cum alia re, quæ per illum cognoscitur.

6. *Scientia infusa Christi non potest esse discursiva.* — Dico secundo: anima Christi nunquam usa est hac scientia, componendo, aut discurrendo, nec talis modus cognoscendi potest in illa habere locum. Probatur, quia proprius et connaturalis modus cognoscendi per hanc scientiam est per simplicem intuitum, seu cognitionem; sed hujusmodi modus operandi natura sua opponitur discursui seu compositioni; ergo ex natura rei nunquam hæc scientia operatur alio modo, sicut fieri non potest ut per habitum principiorum cognoscantur principia per discursum, quia ille habitus intuetur veritatem principiorum simpliciter, prout in se est. Et confirmatur, quia quamvis possit anima Christi uti aliqua specie per se infusa inadæquate, et postea paulatim perficere illum actum, non tamen propterea erit ille discursus, sed solum erit cognitio unius rei post aliam, sicut contingit etiam in Angelo; ergo nulla ratione intelligi potest quomodo per hanc scientiam fiat discursus, saltem loquendo juxta naturam hujus scientiæ, et secludendo miracula, nec necessaria, nec utilia.

7. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: quamvis ipsa scientia secundum se non postulet discursum, tamen ex parte subjecti poterit ad illum modum operandi accommodari, sicut supra dicebamus de conversione ad phantasmata. Respondetur non esse simile, quia conversio ad phantasmata non dicit aliquid intrinsecum ipsi scientiæ, quæ est in intellectu, sed tantum dicit concomitantiam quamdam inferioris potentiæ ex motione superioris, quæ motio fieri potest per scientiam superiorem et perfectam; at vero discursus dicit intrinsecam imperfectionem et limitationem in actibus per quos fit discursus; fieri autem non potest ut scientia, quæ ex natura sua habet efficere actus perfectos, et superioris ordinis, trahatur ad efficiendos actus ordinis inferioris. Dicunt aliqui, hæc recte procedere in his quæ anima Christi evidenter ac comprehensive per hanc scientiam intuebatur, non vero in aliis quæ aliis modis cognoscere

poterat, vel per evidentiam tantum in attestante, vel a posteriori, vel interdum etiam conjectando. Sed sub hanc scientiam nulla cognitio cadit, nisi ut evidens est, et ut talis est, vel in se, vel in suis principiis manifestatur sine discursu, nec alius modus est connaturalis lumini et speciebus hujus scientiæ; et similia argumenta fieri solent in Angelis, qui discurrere non possunt, juxta magis receptam sententiam.

## ARTICULUS VI.

*Utrum hæc scientia fuerit distincta per diversos habitus<sup>1</sup>.*

1. *Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in anima Christi non fuerit nisi unus habitus scientiæ. Quanto enim scientia est perfectior, tanto est magis unita; unde et Angeli superiores per formas magis universales cognoscunt, ut in prima parte dictum est<sup>2</sup>. Sed scientia Christi fuit perfectissima; ergo fuit maxime una; non ergo fuit distincta per plures habitus.*

2. *Præterea, fides nostra derivatur a scientia Christi; unde dicitur Hebr. 12: Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum. Sed unus est habitus fidei de omnibus credibilibus, ut in secunda parte dictum est<sup>3</sup>. Ergo multo magis in Christo non fuit nisi unus habitus scientiæ.*

3. *Præterea, scientiæ distinguuntur secundum diversas rationes scibilium. Sed anima Christi omnia scivit secundum unam rationem, scilicet, secundum lumen divinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantum unus habitus scientiæ.*

*Sed contra est quod Zach. 3 dicitur, quod super lapidem unum, id est, Christum, sunt septem oculi. Per oculum autem scientia intelligitur. Ergo videtur quod in Christo fuerint plures habitus scientiæ.*

*Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est<sup>4</sup>, scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humanæ. Est autem connaturale animæ humanæ, ut recipiat species in minori universalitate quam Angeli; ita, scilicet, quod diversas naturas specificas, per diversas species intelligibiles cognoscat. Ex hoc autem contingit, quod in nobis sint diversi ha-*

<sup>1</sup> 3, d. 14, a. 3, q. 3.

<sup>2</sup> 1 p., q. 55, art. 3.

<sup>3</sup> 2, 2, q. 4, art. 6.

<sup>4</sup> Art. 4 hujus quæst.



*Habitus scientiarum, quia sunt diversa scibilium genera; in quantum, scilicet, ea, quæ reducuntur in unum genus, eodem habitu scientiæ cognoscuntur; sicut dicitur in primo Posteriorum<sup>1</sup>, quod una scientia est, quæ est unius generis subjecti. Et ideo scientia indita animæ Christi, fuit distincta secundum diversos habitus.*

*Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est<sup>2</sup>, scientia animæ Christi est perfectissima, et excedens Angelorum scientiam, quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis; est tamen infra scientiam angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi modum pertinet, quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens.*

*Ad secundum dicendum, quod fides nostra innititur primæ veritati, et ideo Christus est auctor fidei nostræ secundum divinam scientiam, quæ est simpliciter una.*

*Ad tertium dicendum, quod lumen divinitus infusum, est communis ratio intelligendi ea quæ divinitus revelantur; sicut et lumen intellectus agentis, eorum quæ naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum, ad cognoscendum cognitione propria unumquodque. Et secundum hoc oportuit esse diversos habitus scientiæ in anima Christi, ut dictum est<sup>3</sup>.*

#### COMMENTARIUS.

Habitus scientiæ includit tam species intelligibiles representantes objecta, quam lumen, vel habitum qui potentiam facilem reddat ad exercendum actum, et præsertim ad iudicium ferendum. D. Thomas ergo, hoc loco, quantum ex solutione ad tertium colligere licet, potissimum loquitur de habitu huius scientiæ, ratione specierum intelligibilium, et hoc modo dicit hanc scientiam esse divisam per plures habitus, et addit, huiusmodi habitus, seu species intelligibiles, esse in hac scientia Christi minus universales, quam species angelicas. Quæ sententia statim disputanda est; est enim mihi difficilis et valde dubia.

<sup>1</sup> Text. 43, tom. 1.

<sup>2</sup> Art. 4 hujus quæst.

<sup>3</sup> In corp. art.

#### DISPUTATIO XXIX,

In quatuor sectiones distributa.

##### DE HABITU SCIENTIÆ INFUSÆ ANIMÆ CHRISTI.

Duo in hac disputatione tractanda sunt primum de speciebus, deinde de lumine; supponimus autem ex philosophia, et communi sententia Theologorum, ad intellectualem scientiam necessarias esse species intelligibiles, quando objectum per se non unitur potentia, neque in Verbo cognoscitur, sed in se ipso, et quia hoc modo fit cognitio per hanc scientiam, certum est eam includere species per se infusas. Deinde supponimus has species esse perfectas quoad vim representandi objecta, ita ut per illas perfecte cognosci possint; in quo dubium non est quin etiam Angelorum species superent, quia sunt altioris ordinis, et perfectiorem cognitionem efficiunt; solum ergo inquirendum de illis superest, quam sint universales vel limitatæ.

#### SECTIO I.

*Utrum species per se infusæ animæ Christi fuerint universales quam angelicæ.*

1. Variæ sunt sententiæ, et valde contrariæ. Prima affirmat solum esse infusam animæ Christi unam speciem universalissimam, quæ sufficiens principium est ad cognoscenda omnia quæ cadunt sub hanc scientiam. Ita tenet Marsil., in 3, questione decima, articulo secundo, parte quarta, concl. 2. Fundamentum esse potest, quia hoc non est impossibile, ut ex dictis disputatione præcedenti, sect. 1, colligi facile potest, tum quia nulla implicatio contradictionis in hoc assignari potest; tum etiam quia minus est representari hæc omnia per unam speciem, quam ipsam essentiam Dei; tum denique quia (ut constat ex doctrina de Angelis), quacunquæ specie universali facta, potest fieri alia universalior; ergo potest esse aliqua tam universalis, ut representet hæc omnia; est ergo hæc perfectio possibilis, et est major, quia virtus, quo simplicior et magis unita, eo perfectior est; non est ergo cur animæ Christi denegetur hæc perfectio.

2. Secunda sententia dicit species huius scientiæ esse minus universales quam omnes angelicas, ita ut singularum rerum datæ sint singulares species. Ita D. Thomas hic in corpore, et ad tertium, quem Thomistæ sequuntur;

explicant tamen de naturis specificis, non de individuis; Scotus vero, in 3, d. 14, q. 3, et Gabriel, quæstione prima, articulo secundo, concl. 1 et 2, ut supra, disp. 27, sect. 1, visum est, etiam singulis individuis dicunt respondere singulas species intelligibiles. Fundamentum huius sententiæ est, quia hæc scientia data est Christo, modo proportionato et connaturali animæ humanæ; est autem connaturale huic animæ, cognoscere per species limitatas, et minus universales quam sint angelicæ. Quæ sententia est probabilis propter auctoritatem D. Thomæ; fundamentum enim ejus parum suadet, et ideo media via incedendum mihi videtur.

3. Dico ergo primo, species intelligibiles infusas in hac scientia esse plures, et non unam tantum. Hæc sententia est D. Thomæ hic, et in 3, dist. 14, art. 3, et ibi est communis; et opinio Marsilii est singularis, et ideo non videtur tenenda, quanquam evidenter improbari non possit, quia revera non videtur impossibile quod affirmat, ut probatum est. Si autem impossibile non est, cum factum pendeat ex voluntate Dei, quæ non auctoritate aliqua, sed conjecturis colligenda est, constat neutram partem sufficienter posse convinci; tamen non quidquid impossibile non est, statim tribuendum est animæ Christi, præsertim quando nulla est necessitas, et cum alioqui valde difficile intellectu sit, res distinctissimas et diversorum ordinum, naturales et supernaturales etiam, per eandem speciem, in proprio genere representari. Denique, cum hæc scientia minus perfecta sit quam beata, minus simplex et unita est; non ergo per unam speciem, sed per plures cognoscet objecta sua.

4. *Universalitas specierum infusarum Christi.* — Dico secundo: hæc species universaliores sunt quam sint species connaturales intellectui humano. Hæc conclusio colligitur ex doctrina Cajetani hic, quam admittunt omnes Thomistæ; docent enim unam harum specierum, ad minimum, representare unam naturam specificam, et omnia individua sub illa contenta; huiusmodi autem universalis representatio speciei non est connaturalis intellectui humano, ut constat. Item per unam ex his speciebus representatur natura specifica cum omnibus suis proprietatibus, ita ut comprehendere possit, quia Christus per hanc scientiam comprehendebat quamlibet naturam creatam, etiam superiorem humana; at vero hæc representatio excedit naturalem capacitatem ingenii humani. Deinde docent,

per has species scientiæ representari infinita, ut aperte tradit etiam D. Thomas, art. 5, ad 2; sed non possunt representari infinita per species intelligibiles multitudine finitas, nisi aliqua earum representet infinita, ut per se constat; ergo necesse est ut hæc species tantam habeant universalitatem, ut una species valeat representare res infinitas, quæ maxima sine dubio est, et quæ non solum capacitatem naturalem humani intellectus excedat, sed angelici etiam intellectibus vix concedatur. Ratio denique est, quia istæ species sunt superioris ordinis, et non sunt quasi coarctatæ et limitatæ ad imperfectionem sensuum, ex qua oritur tanta limitatio, quanta est in speciebus quas humanum ingenium per sensus acquirit; sicut ergo anima Christi per hanc scientiam elevata est ad altioremodum cognoscendi, ita et ad universales species. Et hæc conclusio magis ex sequenti patebit.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Contra illam vero objici potest fundamentum D. Thomæ, quia species infusæ sunt modo connaturali animæ humanæ. Sed necesse est ut ipsi Thomistæ illud solvant, dicendo hanc scientiam non esse infusam juxta capacitatem tantum naturalem, sed juxta obedientialem, et ideo modum ejus non esse mensurandum ex naturali modo operandi ipsius potentia, sed ex perfectione debita ipsi scientiæ ad quam potentia elevatur; sicut in visione beata elevatur potentia ad unionem cum ipsa essentia divina per modum perfectissimæ et universalissimæ speciei, et ibi non attenditur naturalis conditio potentia, sed perfectio luminis.

6. *Species infusæ animæ Christi speciebus angelicis universaliores.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Dico tertio, has species fuisse universaliores quam sint species Angelorum. Ita sentit D. Thomas, in 3, dist. 14, art. 3; Richard., art. 4, q. 2; Scot., q. 4, quia, licet ipse neque in Angelis, neque in anima Christi admittat universales species, dicit tamen has species animæ Christi fuisse perfectiores angelicis; imo sentit esse perfectissimas quæ de potentia absoluta esse possunt, quod necessarium non est. Probatur ergo conclusio primo, quia in omnibus aliis perfectionibus gratiæ et scientiæ, anima Christi superavit Angelos; cur non etiam in ista? Respondent aliqui Thomistæ, non esse eandem rationem, quia species infusæ sunt connaturales animæ humanæ, et anima Christi superavit Angelos in